



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Festvm Resvrrectionis D. N. Iesv Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

FESTA MOBILIA.

FESTVM RESVRRECTIONIS D. N.

IESV CHRISTI.

O triumphē! Io! Vicisti Christe amor meus!
 agnosco vultum victorem, & victricem, quā
 hostis meus cecidit, manū: video in bono Duce
 victoriæ vestigia, plagas adversas! laudo tro-
 phæum nobile, Crucis arborem. Ecce ante currus
 triumphales cum mundo dæmonem, cum morte
 carnem. Iocæli plaudite: aët insona: triumphum
 clamatè litora: terra resulta: & tu Echo mille ho-
 die ora indue. Heus! adeste quotquot estis mundi
 cives! quercus, imò nemora spoliata, & Servatori
 vestro *Civicam* fert. Agite veris arva lætissima,
 rectè omne, quod vobis est, gramen suppeditatis.
 Nam *obsidionalem* non jam urbs, sed orbis debet
 obsidio dæmonis liberatus. Eia, quid moras necti-
 tis, qui in lacrimis natatis naufragi? quin tabulas
 colligitis, & *Navalem* paratis illi, qui victor Sty-
 gem trajecit? Quin *Castrensi* ornatis eum, qui pri-
 mus castra Phlegethontis victor transcendit! Ecce
 Angeli ramis suis Palladem spoliant feruntque
Oleaginam illi, qui pacem *Devum* inter & homines
 potuit componere. Sed numquid *Triumphalis* obli-
 viscemur coronæ? Ecce ultrò laurus in sertum abit,
 æternam viriditatem sperans, si hæc tempora con-
 tingerit. Sed & tu abi in ignes omne aurum, & exi
 corona *Triumphatori* meo. At tu cape has coronas
 victor Amor, & si omnibus his rosæ fese immi-
 sceant, ne has repudia. Spinæ nuperæ dederunt.

Suscepit tecum aromatibus Dominicū visere cura
 A *sepul-*

2 FESTA MOBILIA.

sepulchrum. Ibi lacrimas devotionis effunde; nec usquam divertas, donec resuscitati Domini teneas vestigia, contrectes manu ac lenias oculis clavorum foramina. Illum audi loquentem, agnoscet viventem, dilige diligentem. S. Laur. Iust. serm. de Resur. D.

FESTVM ASCENSIONIS D. N.

I E S V C H R I S T I.

PO! iterum; iterum Io! iterum Triumphe! Ecce amor meus triumphans Capitolium cœleste petit! Ecce obvios omnes cœli cives! Ecce eruptos orco & servatos Patres, omnes cœli libertate pilatos! O numerum daretur horum augere! ô ultima triumphi appendix pedibus hærere possem triumphantis! Vicisti, eia Amor Christe amatum. En manus do vietas. Victum ecce non etiam in triumphum ducis? Ecce sequar vel vincitus currum. Heu mihi! sine me hem jam nubes transit, hem Christus habet muros! Hæc nimirum ab inferis reduci victori unica corona deerat, Muralis. Hanc quoque, dum primus hodie amor meus in cœli mœnia evadit, primus tulit. Sed ne animum despondere cœteri, qui bellum cœlo facitis, & vi amicâ cœlum itis expugnatum. Auferet (iterum moneo) hanc etiam secundus, tertius, etiam ultimus. Imò ultimus primas feret, & quòd profundius descenderit, hoc altius ascendet. Neque est, quòd viam multum inquiramus, quæ ad triumphum ducat. Impressit huic Christus vestigia sua, sanguine notavit. HAC ITUR.

Ascendamus cum Christo corde, ut cum dies ejus promissus advenierit, ascendamus & corpore. Sed cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria;